IMMORTALEM GLORIAM,

QVAM,

VIRO,

DVM VIVERET,

PER-ILLVSTRI, GENEROSISSIMO

ATQVE EXCELLENTISSIMO

JOANNI DIETERICO à TETTAV,

MAGNO BORVSSIAE CANCELLARIO,
SVPREMI TRIBVNALIS, RERVMQVE FEVDALIVM PRAESIDI,
MAECENATI MVSARVM MVNIFICENTISSIMO,
DEBET ACADEMIA REGIOMONTANA;
D. XXIII. JVNII, IN AVDITORIO MAJORI,
ORATIONE EX INSTITVTO, PVBLICE HABENDA,
GRATA EXSOLVET.

AD QVAM BENEVOLE AVDIENDAM
OMNES, QVI LITTERIS PATROCINIO ET AMORE FAVENT,

RECTOR ET SENATVS
REGIAE ACADEMIAE REGIOMONTANAE
HVMANITER PERAMANTERQVE INVITANT,
PER

JOANNEM ARNDIVM,
ELOQV. ET HIST. PROF. P. EXTR.



REGIOMONTI, LITTERIS REVSNERIANIS.



O Pulchram et decoram pietatis publicae ſocietatem! Modo ſacroſanctam imperandi auctoritatem, in Friderico Groebenio, ſummo belli duce, publice admirati ſumus; modo eandem, in Joanne Dieterico Tettauio, vno ex maximis togatae militiae ducibus, ſimiliter admiramur. Ciuitatem, intra limites ſuos, a nefariis ſceleribus defendere, inque fide ac obſequio, ciues continere vniuerſos, togatae militiae eſt; cujus caſtra, curiae; arma, leges; conflictus, ſupplicia; Duces denique ii, qui conſiliorum dexteritate Rempublicam ſalubriter adminiſtrant. His enim, quot ſaepe contentioſis turbis, tranquilliſſimo licet foris ſaeculo; quantaque virtute opus eſt? quum ciuibus bonis et frugi, aduerſus noxios; quietis, aduerſus factioſos; infirmis, aduerſus potentiores, praeſidia praeſtanda; aut anhelantes peſtem patriae, molienteſue reprimendi ſunt et ſubuertendi? Tunc profecto, tunc non modo cum hominibus, ſed cum inhumanitate; non cum hoſtibus tantum, verum cum hoſtilitate ipſa, omniumque vitiorum hydra, fortiſſime confligunt duces hi togati; et quidem, quae praecipua eorum prudentia eſt, res maximas, minimo motu; pericula ſumma, ſine tumultu; praelia quoque inteſtina, procul milite, conficiunt. Jucundum ſane aequis togatorum auribus fuiſſe oportet, M. Tullium olim audire, de togata militia ſua, glorioſe praedicantem in Catilinaribus. Poſtea enim, quam L. Catilinam, ſcelera ſceleribus, cum ſummo Reipublicae diſcrimine, potentiſſime cumulantem, loco mouerat auctoritate conſulari, vel ſola voce ejecerat ex vrbe, Cicero, effeceratque diligentiſſimis Senatus

natus

natus consiliis, vt celeriter de manibus audacissimorum ciuium delapsa arma ipsa caderent; tum is, triumphanti similis, ita ad Quirites: *togati, me vno togato duce et imperatore, vicistis*! Vnde, vir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompejus, multis audientibus, tantum Consuli isti, ob hoc vnum tribuit, vt diceret: *Frustra se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi Ciceronis in Remp. beneficio, vbi triumpharet, esset habiturus.* An vero, militia ejusmodi togata cum Cicerone desiit? Viguit semper, et, in beatissimo cujusuis populi statu, maxime floruit. Nam, nonsolum Senatores in Gallia, contemti aliquando a militibus, et, infra equestris gradus dignitatem, dejecti, de militari in toga virtute, quam regibus et regno Parlamenta praestant, immortali prorsus voce, apud Regem ipsi perorarunt; Verum et Borussia nostra, togatos ejusmodi duces, siue in Augusto Regimine, siue in Supremi Tribunalis arena, siue alibi, et consilio et virtute illustrissimos, ostentare aliis potest. Quis igitur nostrum, tam temperans gaudii seraeque laetitiae esset, qui vrbanis fortitudinibus minus exsultaret, quam castrensibus? Vel, cui pacis decora admodum inuisa, qui, in ducibus togatis, non aeque tantum animi, tantum prouidentiae, tantum vigilantiae, tantumque numinis cerneret, quam in fortissimis viris, qui multum sanguinis pro patria effundunt? quique Salaminiae Themistoclis victoriae, Solonis consilium, quo Areopagitas constituit ac diu conseruauit; factis Pausaniae Lysandrique, leges Lycurgi; laureis denique belli omnibus, pacis trophaea, dignitate inter se non conferret saltem? Aut fallimur itaque, aut toga insignes, similiter vt illi, qui multis inclaruere triumphis, viui promeruerunt, post mortem radiatum habere caput, mediaque inter

He-

Heroes ſede, auro ſtare et ebore, et marmore, celebrarique laudibus nunquam morituris.

Quapropter Academia noſtra, quae Gymnaſium togatae militiae eſt, et Campus Martius, atque eos, quos toga magis, quam arma honeſtarunt, peculiari quodam jure, tanquam ſuos aeternum veneratur, illuſtrisſimum quoque Tettauii nomen, obliuione ſepeliri non patitur, inſignibus ejusdem beneficiis jucundisſime admonita. Suſcepit autem, hac vice, praeconii Tettauiani ſpartam, juuenis, teſtimonio omnium, qui iſtum perſpexere, probitate et doctrina conſummatisſimus: CAROLUS LUDOVICUS WECKERUS, Regiomonte Boruſſus; Viri Nobilisſimi, Conſultisſimi, atque Amplisſimi, *Chriſtophori Reinholdi Weckeri, Judicii cauſarum criminalium aulici adſeſſoris, et commisſionum Secretarii*, filius natu maximus; et ſuſcepit quidem, quod eo certius pietatis indicium eſt, ſponte; vel ideo maxime, quod Illuſtrisſimae Tettauianae domui, plurimis ſe obſtrictum beneficiis et ſentit, et profitetur. Oratore itaque extraordinario praeeunte, producet is oratione ſua, ſine lima aliena, diligenter apteque elaborata, Militiam togatam cum praecipuis decoribus ſuis, *de Illuſtrisſimo Cancellariorum in Borusſia munere, vna et Cancellariis novisſimis*, acturus. Quem, altera jam vice, oratorem publice prodeuntem, craſtino die, hor. X. ante merid. a Litterarum Patronis, Fautoribus, cultoribusque, tanto benignius auditum iri confidimus, quanto magis, et argumenti dignitas, et grata dicentis interpretatio, merentur.

P. P. X. Calend. Jul. A. N. C.

CIƆ IƆCC XXI.

